

# LIVONIA

siue Liefland.

**L**iuonia, siue Lieflandia ante annos 400. opera Mercatorum Bremensium & præcipue militum Teutonici ordinis ad fidem Christi adducta, cum multa periculosa cum externa tum interna bella & bellorum calamitates pertulisset, & vicinis suis Regibus & dynastis quodammodo prædæ esset: tandem anno 1559. sub Gothardo Ketlero ordinis Teuthonici ultimo magistro in fidem & clientelam à Sigismundo Augusto Rege Poloniae tanquam membrum Regni & magni Ducatus Lithuaniae accepta est. Cum autem die quinto Martij anno 62. Magister ordinis Gothardus in arce Rigensi coram Poloniae Regis Commissario Nicolao Ratzcuilo palatino Vilnense ordinem suum resignasset, & primum Crucem, deinde sigillum, postea literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Cæsaribus & Pontificibus acceperat: præterea clauces arcis Rigensis & portæ Ciuitatis, officium Commendatoris, ius cudendæ monetae, vectigal piscium & omnia alia sua & ordinis sui iura Poloniae Regi cessisset ac tradidisset: statim facta resignatione Gothardus à prædicto Palatino nomine Regiæ Maiestatis, Dux Curlandiae & Semigalliae publicè proclamatus est, cuique è vestigio nobilitas Curlandica & Semigallica velut hæreditario domino iuramentum solenne præstitit. Post die etiam Dux Curlandiae, summus Regiæ Maiestatis locum tenens & Gubernator Liuoniae in Curia Rigensi publicè renunciatus, & clauces arcis & portæ ciuitatis recepit. Nobilitati vero & ciuibus omnia sua iura & priuilegia restituta & confirmata sunt, prout in literis apud D. Dauidem Chytræum videre licet. Diuiditur autem Liuonia in tres partes locis & linguis distinctas, videlicet in Estiam, Lettiam & Curlandiam. ESTORVM prouinciæ sunt Harria, cuius metropolis est Reualia 49:4. 60:7. Viria in qua VVeisenburg 50:7. 60:8. Tolsberg 50:18. 60:22. Borchholm Episcopi Reualiensis sedes 50:25. 59:50. Allantakia, vbi Nerua 51:15. 60:20. & Nyfchlott 51:15. 60:0. Odenpoa, in qua Derbatum 50:55. 59:2. VVernebec 51:20. 59:5. Helmede 50:14. 58:42. & Ringen 50:20. 58:52. Ieruia vbi VVittenstein 50:5. 59:35. Lais 51:0. 59:30. Ouerpolen 50:30. 59:26. Vellin 49:38. 59:0. VVichia, vbi Habfeel 47:55. 59:52. Leal 47:54. 5. 9:35. Lode 48:20. 59:48. & Parnouia 48:30. 59:0. Estis adiacent infula Ofilia, Dageden, Mona, VVormse, VVrangen & Kien, & alia plures, in quibus partim Estica, partim Suenica lingua vtuntur. LETTORVM vrbes sunt Riga 47:57. 57:35. Kokenhufen 49:35. 57:7. VVenden 49:50. 58:0. VVolmar 50:15. 58:10. & tota Diocesis Rigensis. Liui vero dicti sunt, qui tractum littoralem à Riga & ostio Dunæ versus Salin & Parnouiam flu. incoluerunt. CVRLANDIAE oppida & arces sunt, Goldingen 45:45. 56:55. Canda 46:26. 57:9. VVinda 45:25. 57:32. Durben 45:11. 56:55. Srunda 45:45. 56:16. Grubin 45:56. 28. Pilten 45:46. 57:15. Amboren 45:43. 56:8. & Hasenpot 45:24. 56:50. Semigallia, Mitouia 47:20. 57:2. sedes aulae Ducum Curlandiae, Selburg 49:55. 57:0. Bauschenburg 47:40. 56:20. Doblén 46:46. 56:48. & Dalem 47:57. 57:28. Vrbes sunt. Semigalliam verò & Curlandiam à Lettorum populis & reliqua Liuonia, flumini Duna determinat. Esti autem Liuonia vt dictum est, nunc Regi Poloniae subiecta est, attamen & Moscus & Rex Sueciae & alij multas arces & ciuitates in ea occuparunt & adhuc tenent, quisque sibi viciniore, nempe quas Polonus se restitutum suocorpori curauit.

Meridiani distant ex ratione paralleli  
58. ad circulum maximum.

XXV





LIVONIA

Miliaria Germanica communia



Per Gerardum Mercatorem  
Cum Privilegio



